

DISPUTATIO
INAUGURALIS;

De

CESSIONE A-
CTIONUM,

Quam

AVSPICIO SS. TRIADOS

Ex decreto & autoritate

AMPLISSIMI AC NOBILISSIMI

LECTORUM ORDINIS IN CELEBERRIMA
Argentoratensium Academia

PRO LICENTIATI IN UTROQUE

Jure privilegiis ac honoribus ritè & so-
lenniter consequendis

Publico examini subjiciet

HENRICUS LANGENBECK,
Hamburgensis.

Die 12. Mensis Maji.

✻ (:) ✻

ARGENTORATI,

Typis PAULI LEDERTZ.

M. DC. XXXI.


12

1631, 4.

16.

5.





16.

5.



Σὺν Θεῷ

DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
CESSIONE ACTIONUM
THESIS I.



Uæ reliquos alienandi modos suasit utilitas, eadem Cessiones introduxit. Proinde cum nemo, quo minus te meâ, usu & re familiari postulante, abutar, vetare me queat. *l. 25. §. 11. ff. de petit. hered.* Et incorporalia non secus atq; corporalia in commercio sint, hinc fit, ut quemadmodum illa voluntate nostra traditione, ita hæc cessione plerumq; transferantur.

II.

Cedere actiones seu actionibus (quod venustius) nihil aliud est, quàm actiones alteri præstare. *l. 31. pr. ff. de act. Empt. exhibere. §. cum autem l. de Empt. & vend. mandare. l. Modestinus. 76. ff. de solut. ad alium transferre. l. 35. §. 4. in fine. ff. de contr. Empt.* Hæc enim omnia gemina germana sibi sunt, nec ullatenus hodiè differunt.

III.

Cedimus autem seu mandamus actiones vel in rem nostram, ita ut commodum actionis in nos redundet, vel in rem ipsius *Procuratoris*, exinde in rem suam dicti. Illud mandati genus tituli ff. & C. de Procuratoribus; hoc præsens disputatio, cum bono Deo, sibi vendicabit. Est igitur cessio actionum in posteriore significato (si cui eam rudi Minerva describere lubeat) nihil aliud, quàm actionum præcedente justo titulo legitima translatio.

IV.

Cedere actionibus possunt, qui non prohibentur: *arg. l. 12. ff. de iudic.* Prohibentur autem omnes, qui legitimam bonorum ad-



ministrationem, liberamq; alienationem non habent. Hæc ergo quibus vel Natura vel Lege interdictum est, ii omnes ab hac actionum translatione arcentur. Quorum curiosa enumeratio, cum spectet ad Tit. de Obligationibus Pactorumve, non nisi otiosè hic instituatur.

V.

Sed sciendum, alios *sua sponte*, alios *necessitate* coactos ad cessionem pervenire: ut forsitan non ineptè Cessionem in *Voluntariam* & *Necessariam* tribueris. De illâ nihil attinet dicere, cum, quotiens cedenti adlubuerit, consensu Cessionarii (nam debitoris non requiritur, & in hoc à delegatione debitoris differt *l. 1. C. de novat.*) accedente contingat. Hanc leges aliquam multis injungunt, plerumq; tamen sequentibus, de quâ aliquanto plenius agamus.

VI.

Necessariò igitur transferre compelluntur I. Hæres Trebellianicus Fideicommissario actiones ante factam restitutionem sibi quasitas. *l. 73. ff. ad Sc. Trebell.* II. Alienam hæreditatem pro hærede vel possessore possidens, actiones occasione hæreditatis sibi acquisite. *l. 20. §. 17. l. 40. §. 2. ff. de pet. hered.* III. Cohæredes divisione nominum inter eos factâ. *l. 2. §. fin. ff. fam. erisc.* IV. Venditor hæreditatis Emptori actiones, antequam res hæreditariæ ad eum pervenerint. *l. 2. §. 3. ff. de hered. vel act. vend.*

VII.

V. Dominus Rei vindicatione agens bonæ fidei possessori, qui re sine culpâ ante usucapionem amissâ litis æstimationem solvere coactus est, *l. 21. vers. si. verò. l. 63. ff. de R. V.* VI. Deponens depositario, commodans commodatario adversus tertium, quamvis dolo eorum res absit. *l. 12. ff. de re iud.* Sed cur diversum est in Rei vindicatione? *l. 69. ff. de R. V.* In personalibus cessione opus, in rebus non æquè, quanquam alii id aliò referant.

VIII.

VII. Creditor re pignoratâ jure pignoris venditâ evictâ, Emptori contrariam pignoratitiam adversus debitorem *l. 38. ff. de Evict.* VIII. Creditor soluto pignore, actiones ex pignore acquisite *l. 13. ff. de pignor. act.* IX. Quilibet venditor Emptori actiones post venditionem re nondum traditâ acquisite *l. 13. §. 11. ff. de act. Empt. Quin & acti-*

& actionem ex locato pensionum nomine, quæ ante traditionem deberi cœperunt, arg. l. 13. §. 11. ff. de act. Empt. resistente licet Cujac. 25. obs. 31.

IX.

X. Dominus fulloni & sarcinatori, qui ob vestimenta amissa ei satisfacere paratus est, vindicationem & conditionem furtivam. l. si merces. 25. §. ult. ff. locati. XI. Primus Creditor hypothecarius secundis, aliisve hypothecæ possessoribus debitum solventibus actionem sibi competentem, sive hypothecariam sive in personam, adversus reliquos debitores sub hypothecâ obligatos. Res manifesta fiet ex l. 19. ff. Qui pot. in pign. l. 5. ff. de cens. l. 45. §. 9. ff. de jure fisci.

X.

Neque tamen quibusvis etiam injustis, ut quidam volunt, possessoribus actione suâ cedere compellitur hoc casu creditor, sed justis tantum. Quamvis enim injustus possessor solvens rei vindicationem & hypothecariam extinguat l. 12. §. 1. ff. quib. mod. pign. vel hyp. solv. ad cedendas tamen actiones neminem cogere potest. Cessâ autem ex hac causâ actione, cessionarius contra cæteros possessores non in solidum experiri, sed tantum pro virili, deductâ ratâ prædii à se possessi, debet. Et æquitati bellum indicere videntur, qui contra nituntur.

XI.

XII. Procurator Domino actiones acquisitas l. 2. C. per quas pers. Quamvis enim Domino per Procuratorem actio conserveatur, non tamen acquiritur l. 72. ff. de procur. & textui l. quod procurator, 68. ff. de procur. inserendam negationem pridem docuit Cujacius. Est tamen cum & sine cessione per Procuratorem Domino acquiritur actio, quod usu venit in hypothese l. 2. C. per quas person. l. 3. C. de contr. stip. l. 9. §. 8. ff. de reb. cred. l. 6. l. 46. ff. de cond. indeb. l. 6. C. eod. Et l. 27. §. ult. & l. seq. ff. de procur. l. 5. ff. de prat. stip. l. 18. §. ult. ff. de dam. inf. Item l. 13. §. 25. ff. de act. Empt. l. 79. ff. de V. O. Et in universum quoties aliter res Domino salva esse nequit, arg. d. l. 5. ff. de prat. stip. & d. l. 13. ff. de act. Empt.

XII.

XIII. Minor, qui suâ sponte negociis majoris inter venerit, evitare volens negociorum gestorum actionem, beneficium resti-

A 3

tutio-

tutionis in integrum majori *l. 24. ff. de minor.* XIV. Idemq; minor
Curatoribus actionem tutelæ contra tutores, qui illorum culpâ in
minorem summam condemnati sunt *l. 20. §. 1. ff. de tut. & rat. distr.*
l. 25. ff. de admin. tut.

XIII.

XV. Pupillus tutori actionem adversus debitorem, qui de-
sinit esse solvendo, si tutor eo tempore, quo is idoneus erat, non exe-
gerit debitum, atq; ob id condemnandus veniat. *l. 95. §. si manda-
tu. ff. de solut.* XVI. Pupillus vel minor Tutori in solidum ex facto
alterius tutoris vel communi gestu convento adversus contutores
l. 2. C. de divid. tut. quanquam hodiè ex constitutione divi Pii uti-
lis etiam sine cessione tutori competat actio *l. 1. §. 13. ff. de tut. & rat.
distr.* Dixi *ex communi gestu*, secus si ex suo vel communi dolo con-
ventus solverit, *ratio est. in d. l. 1. §. 14.*

XIV.

XVII. Creditor fidejussori adversus debitorem actionem
principalem *l. 28. ff. mand. Nov. 4. c. 1. in fin.* cum fieri possit, ut actio
cessa pinguior magisq; sit ipsi proficua, atq; mandati. XVIII. Ipse
Debitor principalis, qui nescius solutionis à fidejussore factæ, æquè
satisfecit creditori, fidejussori conditionem indebiti adversus cre-
ditorem *l. 29. §. hoc idem tractari ff. mandati.*

XV.

XIX. Creditor fidejussori in solidum convento & ante so-
lutionem exceptionem doli, quam cedendarum vocant actionum,
opponenti, adversum reliquos fidejussores *l. 17. l. 36. ff. de fidejuf.
l. 11. C. eod.* Idq; adeo, etiam renunciatione divisionis factâ, obti-
net; nisi quis hanc renunciationem id operari velit, ut omnes ni-
hilominus in solidum conveniri possint, conventus autem à credi-
tore cedi sibi rursus actione adversus reliquos postulet, ut id quod
amplius suâ parte solvit, consequatur: quod forsan non inconcin-
nè à quibusdam traditur.

XVI.

Nonnunquam tamen beneficium hoc cedendarum fidejusso-
ri non competit. Idq; 1. si cessio creditori esset nocitura. 2. si fide-
jussor dolo malo se fidejussisse neget. 3. Si nominatim (nam ge-
neraliter id fieri non suffecerit) huic beneficio renunciarit. Quo
tamen

tamen factio beneficium divisionis & excussionis salvum ipsi ma-
net & integrum. Invenias, qui nec tum competere fidejussori istud
beneficii contendunt, cum creditor actiones adversus debitorem
aut reliquos fidejussores factio suo amiserit, ut eas cedere amplius
nequeat, quibus non subscribo.

XVII.

XX. Denique prestare actiones cogitur creditor correo ad-
versus correum quoad virilem partem. Huic nihilominus cessio-
ne non facta utilis competit actio ex l. 2. C. de duob. reis. cujus legis
ultima verba nimis quam audaciter expungit Ant. Fab. 11. Conject.
17. eumque secutus Giphon. ad d. l. 2.

XVIII.

Omnia harum, ad quas necessitate juris quis adigitur, ces-
sionum, naturalis est ratio, quia id, quod mihi prodest, tibi vero non
nocet, prestare compelleris: Jure Civili in l. In creditore. 38. ff. de
Evict. & alibi confirmata. Et tantum est de iis, qui actionibus vel
volentes vel invitati cedunt.

XIX.

Videamus porro quibus cedi possit vel debeat. Quod dum
ago, arcessenda huc est regula, in hoc Permissorum genere usitata
& thesi 4. in simili proposita: Omnibus cedi posse qui non prohi-
bentur. Prohibentur autem qui vel natura vel lege vetantur, quo-
minus quid per semetipsos acquirant, id quod ex obligationum, ut
supra dixi, doctrina hauriendum est.

XX.

Peculiare tamen & proprium quiddam hic patiuntur ces-
siones actionum. Nam primo Quamvis res alias cuivis etiam poten-
tissimo transcribere liceat, actiones tamen potentiori prestari
vetat. Titulus C. ne lic. potent. & quodammodo Edictum de aliena-
tione judicii mutandi causa facta, licet alterum ab altero differat.
ut videre est apud Cujac. 8. obs. c. 31. Potentior autem quis sit nec
ne, Judicis est dispicere, qui vel officii vel opum vel alterius digni-
tatis intuitu rem definit. Quemadmodum & hoc loco potenti-
or quis intelligitur non eo contra quem actio ceditur, sed eo qui
cedit. Duar. ad tit. de al. judic. caus.

XXI.

Pena transferentis actiones in Potentiolem hæc est: ut de-
biti

biti jacturâ mulctetur, l. 1. & 2. C. ne lic. potent. Quam pœnam, ut in cessione filio potentiori à patre factâ non obtinere crediderim, ita eandem reliquis omnibus, qui præter filium consanguineo potentiori actiones præstant, esse infligendam putârim. Et fruantur sanè opinione suâ, qui dissentiunt.

XXII.

Deinde mandare non licet Advocato quotam litis. l. 5. Cod. de postul. l. 1. §. si cui. ff. de Extraord. cognit. Tertio Curatoribus contra Minores delegari actiones prohibuit Justinianus Novell. 72. cap. 5. usque aded, ut minor ex eâ cessione curatori solum conditione indebiti repetere possit, & ipse cedens jure suo cadat. d. c. 5. Parentes autem liberorum suorum tutores ab hac Novellâ rectè excluderis. vide Cujac. ad d. Nov. 72.

XXIII.

Quarto non Privilegiatus Privilegiato exhibere nequit actiones, si cessionarius in eâ causâ sit, ut privilegio renunciare ipsi liberum non sit. c. fin. de alien. jud. Plane si privilegio uti nolit, fieri cessionem nihil impedit. vid. Cujac. 10. obs. c. 3. Illud monere supervacuum duco, durante potestate patriâ, nec patri adversus filium & vicissim cedi actionibus posse. l. 7. ff. de O. & A. Emancipatorum sequior est ratio. arg. l. 3. Cod. de in jus voc. fac. d. l. 7.

XXIV.

Accessum facimus ad materiam cessionis, quæ cedi possint, quæve nequeant actiones, disserturi. Ceduntur autem actiones tam Personales, sive ex contractu sive ex delicto oriundæ, quàm Reales, natæ & nascituræ, quin & remedia possessoria, nisi si quarum legibus exclusa est. Id quod evenit vel ob actionum quarundam nimiam, ut, sic loquar, personalitatem, quâ fit, ut, à personâ nullatenus avelli queant, vel aliâ quapiam de causâ.

XXV.

Potissima hujus generis sunt Actio injuriarum. arg. l. 28. ff. de Injur. Querela Inofficiosi arg. l. 8. pr. & l. 7. ff. de Inoff. test. Jus revocandæ donationis à donatario. l. 7. C. de revoc. donat. petitio fideicommissi universalis. l. si mulier. §. ex asse. ff. de jure dot. Jus petendæ bonorum possessionis. l. 3. §. acquirere. ff. de bon. poss. Actio in rem & mixta universalis percitationem, actio in personam & mixta

mixta particularis per litis contestationem litigiosa facta. *t. r. ff. & C. de litigiosis.* Quò tamen eos casus, quibus litigiosi vitium non nocet, haut traho. Criminales publicæ & populares ante litem contestatam (quod in plerisq; supra allatis subintelligendum) *l. pen. §. ad crimen. ff. de publ. judic.* Sed nec jus retractus vi statuti proximi agnatis competens ad extraneum devolvi potest. *Coras. 2. Miscell. c. 2. n. 7. & 8.*

XXVI.

An actio hypothecaria sine principali obligatione cedi possit, mirus est Doctorum conflictus. Adfirmantium castra sequi tutius arbitror, si termini, ut loquuntur, habiles ponantur. His omnibus adscribas licet Habitationem, usum & Usumfructum, quem nihilominus animo abdicandi extraneo cessum penes cedentem non remanere cum saniorib⁹ pntârim *v. l. 66. & ibi DD. ff. de jure dot.*

XXVII.

Forma cedendi olim solennis erat, & per tres personas: vindicantem, cedentem atq; addicentem expediebatur, de qua vide uberius *Ant. Cont. 1. disp. juris civilis. c. 12.* Hodie præcedente legitimo, non ficto titulo seu causâ, ad transferendum dominium aptâ natâ, nudâ voluntate cessio actionum contingit, haut secus atq; traditione ex justâ causâ res corporales transferuntur. Nec quicquam hîc difficultatis occurrit, nisi quod solennitates lege vel statuto in bonis immobilibus minorum, Ecclesiæve, si qua horum alienentur, necessariæ, non minus in hac rerum corporis expertium alienatione sint adhibendæ.

XXVIII.

Sed nec illud omittendum actiones eo tempore esse cedendas, quo adhuc competunt. Extinctas enim præstari non posse quis videt *l. Modestinus. 76. ff. de solut.* Quia verò an extinctæ sint, sæpe vocatur in dubium, liceat hanc rem duplici axiomatico definire. I. Quotiens solutionem præcessit pactum expressum de cedendis actionibus, vel hoc actum est, tum etiam factâ solutione rectè ceduntur actiones, ratio est *in l. 36. ff. de fidejuss.* Si vero non præcesserit pactum neq; id actum sit, tum si per solutionem actio est sublata, cedi sibi actiones postulare nequaquam potest *arg. d. l. Modestinus.* Ex quo pronò quasi fluit alveo, correum qui sibi pacto cedendarum non

B

vigila-

vigilavit incaſſum flagitare ceſſionem ex intervallo. *Diff. Cor. Mol. ad d. l. Modestinus.*

XXIX.

II. Quotiens plures diſpari obligationis genere ſunt obſtricti, totiens & poſt unius ſolutionem actio adverſus reliquos ex aliâ obligatione competens cedi poteſt, cum ſuam obligationem perimere voluerit, non alterius, exemplum extat in *l. Papinianus 23. ff. mandati*. Unde præter alia conſectaria & hoc efficitur: Fidejuſſorem creditori ſolventem nec debitorem nec reliquos fidejuſſores ipſo jure liberaſſe; qui tamen creditorem exceptione repellere poſſunt; quamvis plurimi acriter repugnent. Cæterum quod in hypothefi *l. ſi minori. 25. ff. de admin. tut.* diſputant Dd. an minor ad ceſſionem cogi poſſit? id æquitas adfirmandum ſuadet.

XXX.

Ceſſionis ex juſto titulo per mandatum factæ hic eſt effectus, ut pariat exercitium ceſſæ actionis directæ à ceſſionario non proprio, ſed cedentis nomine movendæ, ut ita (verba ſunt Imp. in *l. 9. C. de procur.*) licet contentio ex perſonâ alterius bonâ fide ſumatur, hunc tamen in rem ſuam gerere non ambigatur, ſive in rem ſive in perſonam ſit actio *l. ſin. C. de her. vel act. vend.*

XXXI.

Nulla igitur ex ceſſione, quâ tali, datur utilis actio, ſecus atq; alii opinantur, ex *l. procuratore in rem ſuam. SS. ff. de procur.* adſertionis ſuæ argumentum depromentes. Nam quod utilis actionis aliquoties mentio fit, non ea ex ceſſione, ſed ex reſcripto oritur Imperatorum: id quod ex *l. 5. 7. 8. C. de hered. vel act. vend. l. 2. C. de obl. & act. & præcipuè l. 16. ff. de pactis* abunde pateſcit v. *Cujac. 2. obſ. 31.*

XXXII.

Nimirum ita res habet: Ceſſione legitimè factâ, directas, ut dixi, actiones movebat nomine cedentis ceſſionarius. Verum uſu veniebat, ut nomine vendito, donato, in ſolutum dato, &c. ceſſio ſæpe non intercederet, vel aliâ ratione ceſſionario ſatis conſultum non eſſet, putâ ſi creditor concurreret cum ceſſionario etiam poſt mandatas actiones, ſi fortè exceptionibus quibusdam ſummi juris repelli poſſit ipſe mandans, ſi mandans ſine hærede defunctus ſit, &

lit, & si qui confimiles sunt casus. Hinc fiebat, ut æquitate sua-
dente utiles actiones darentur, quæ tamen non ex cessione, sed re-
scriptis Impp. originem trahunt suam, ideoq; nomine proprio, non
authoris moveri dicuntur *l. ult. C. Quando fiscus vel priv. d. l. 16.*
de pact.

XXXIII.

Si conjicere licet, forsan utilis hæc actio primitus Emptori
hæreditatis à divo Pio data *d. l. 16.* ad alios casus isti non abfimiles
translata est. *l. 1. §. 13. ff. de tut. & rat. distrah.* Atque hæc semel in-
culcasse sufficiat, nec aliter thesium reliquarum, de utili actione
loquentium mentem explicari velim.

XXXIV.

Neque tantum principalis actio ex cessione in cessionarium
transfertur, sed & accessoria, puta hypothecaria vel fidejussoria
arg. l. 6. cum. l. seq. C. de O. & A. Quod si accessoria penes ceden-
tem tempore cessionis non fuerit, per Prætorem decerni debet, ut
eam adeptus postmodum cedat. *Confer. l. 73. ff. ad Sc. Trebell. l. 22. ff.*
de const. pecun. (quas immerito Tribonianismi insimulat *Ant. Fab. 15.*
coni. 5.) & *l. 21. ff. de fidejuss.*

XXXV.

Vi actionum Directæ Utilisve Cessionarius omne jus indi-
piscitur, quod cedens habuit habiturusve esset, imò creditoris lo-
co censetur, istiusq; debitor huic debere intelligitur *arg. l. 2. C. de*
donat. l. 23. & verb. in alium, creditorem. C. Mand. Quicquid ergo in
exigendo debito exercendâq; actione circa pignus personamve
vel ex conventionem, vel lege, vel statuto licuit cedenti, id nec cessionario
denegabitur.

XXXVI.

Hinc competunt ipsi 1. Exactio debiti adversus debitorem
invitum *arg. l. 108. ff. de V. S.* suo tamen periculo commodove; nam
si fortè de mensâ surgat debitor, vel aliàs facultatibus deficiat,
cessionarium id damni ferit, non cedentem: quippe qui non locu-
pletum, sed debitorem solùm præstare tenetur *l. 4. ff. de her. vel act.*
vend. 2. Jus paratæ executionis. *Boer. decis. 10.* quod creditor vel con-
ventionem suam fecit, vel alioquin statuto aut consuetudine introdu-
ctum; dum tamen meminerimus de cessione prius judici fidem,

esse faciendam, alioquin ordinario processui relinquetur, nisi for-
san ut simplex procurator (id enim potest) agere maluerit. tunc
enim de cessione docere non compelli concludunt *Dd. ad l. qui sti-
pendia 9. C. de procur.*

XXXVII.

3. Concessa est ipsi potestas liberandi debitoris *lib. 16. ff. de
pact. arg. l. 49. ff. de solut.* 4. Gaudet privilegiis cedentis realibus
*arg. l. in omnibus 68. & l. privilegia. ff. de R. I. non personalibus arg.
& d. ll. & l. ex pluribus 42. ff. de admin. tut.* Quod enim aliis distin-
guendum placet, directam an utilem quis actionem intendat, so-
lem non fert, neq; id huc pertinet. 5. Nanciscitur Compensatio-
nem debiti cessi cum eo, quo debitori obstrictus est, idq; tam ante
quam post litis contestationem. Neque verò *ex l. 18. ff. de compens.* à
contrario sensu elicere fas est, eam ante litis contestationem non
admitti.

XXXVIII.

Sed nunquid Dominum seu cedentem reconventum in judi-
cio defendere ad exemplum simplicis Procuratoris tenebitur cessi-
onarius? Ancipitem dubii istius decisionem fecere diversa *ICtorum
in l. 33. in fine, l. 34. & 70. ff. de procur. responsa.* Interesse puto, utili (quã
non nisi ex rescripto *Impp.* nasci, neq; ex cessione descendere su-
pra diximus) quis an directã actione experiatur. Illo casu defensio-
nem ejus, à quã causam habet, suscipere cogendus non est. Hãc spe-
cie amplius videndum arbitror, ex necessitate procurator in rem
suam sit factus, an voluntate suã: Hunc teneri dixerim, illum negã-
rim. Licet alii aliis id remediis expediendum putent.

XXXIX.

Quod paulò ante dicebamus, *th. 35.* omne jus cedentis in ces-
sionarium transfundi, id utiq; jure veteri obtinebat. Constitutio-
nibus autem Imperatorum Anastasii & Justiniani id hæcenus limi-
tatum est, ut nomine vendito cesso, nil ultra premium solutum ejus-
que usuras à debitore exigere liceat. *l. per diversas cum l. seq. C. mand.*
Dixi solutum. id enim jubent *Impp.* si tamen fidem de pretio con-
stet habitam, perinde erit *arg. §. vendita. l. de R. div. l. 19. ff. de contr.*
Empt. ut & tum, cum id pendente lite contingit, tunc enim soluti-
one subsequetã præcedens iudicium confirmatur. *arg. l. 9. §. ult. ff.*
de pign. act.

XL. Dixi

XI.

Dixi insuper, *nomine vendito*, aliud enim in hereditate vendita juris esse verius est. Sed nunquid actione non suo precio vendita, quod plus est in debito quam in precio, prior creditor nihilominus exigere à debitore poterit? Negandum arbitror. *arg. d. l. per diversas. & l. seq. C. mand.*

XLI.

Ex eo quod Anastasius Imp. Constit. suâ, quatuor casus iuri veteri reliquit (veluti. 1. si cessio fiat inter cohæredes familiæ eriscundæ iudicio. 2. si sine fraude nomen aliquod liberè donatum sit. 3. si quis possessionis suæ tuendæ causâ cessionem receperit. 4. si fiat inter legatarios in aliquâ re pro diviso conjunctos) quærunt DD. an in aliis non admodum diversis æquè cesset hæc constitutio? Ajo, dummodò appareat ex causâ cessionis, cessionarium redemptorem litium non esse, sed vel necessitate coactum ad eam processisse, vel actiones indubitatas coemisse: quò & venditionem per subhastationem traho. Iis, qui in fraudem Constit. Anastasianæ contrahendo sententiam legis circumveniunt, prænam irrogat Justin. *d. l. ab Anastasio. 23. C. mand.* quam vide.

XLII.

Et hic actionis directæ utilisve est effectus: videamus an is aliquo pacto impediri, vel prorsus tolli possit. Illud non uno contingit modo, sed quotiens vel ratione Effectricis, Materiei, Formæ, vel alterius requisiti defectus aliquis fuerit probatus (quod cuivis ex ante dictis colligere in proclivi est) totiens exceptione vis harum actionum eliditur. Quò spectant & præscriptiones ipsi cedenti obstantes, quæ cessionario sub hæc conditione opponi possunt, si tales sint ut rei cohæreant, *l. 7. ff. de Except.* velut iurisjurandi, pacti, rei judicatæ, quin & compensationis, ut est communis opinio rectè contra Martinum & Castrensem ab *Ant. Fab. 12. conj. 9. defensata.*

XLIII.

De Personalibus quid dicendum? Sanè si directæ ex personâ cedentis moveatur actio, omnes nocent; sin utilis nomine proprio, ita jus est, ut cessione ex causâ onerosâ factâ eæ exceptiones, quæ contractum ipsum respiciunt, ut dolus & si quæ sunt confi-

B 3

miles

16.

5.

miles, non noceant etiam cessionario *l. 3. C. de peric. & cau. rei vend. l. 4. §. 29. & 31. ff. de Except. dol.* secus si ex causâ lucrativâ per *dd. textus & l. 6. ff. de Except.* Merè autem personales quæ nec rem nec contractum adficiunt, sed extrinsecus personæ accedunt, ut Excommunicationis, deportationis, banni &c. (si quid horum post cessionem contigit) omninò objici non posse cessionario crediderim. *Petr. Costal. ad l. 21. ff. mand.*

XLIV.

Evenit quandoque, ut ipse cedens exactionem debiti cessionario intervertere queat. Quippe cum directa actio mandantis oisibus inhæreat; si prior debitorem compellârit, pecuniamque receperit, jure suo usus censeri debet. *l. 3. C. mand. l. 3. C. de novat.* Id quod tamen non nisi re integra licere credendum est. Desinit autem res esse integra, si cessionarius vel litem contestatus sit, vel debiti partem acceperit, vel debitori cessionem sibi factam denunciârit. *per l. 3. C. de novat.*

XLV.

Denunciationi verò licet ejus causa cessio nempe adjungenda sit, ut certior de eâ fiat debitor *arg. l. 4. C. quæ res pign. non tamen inhibitio requiritur, secus atque contendit Faber. 12. conj. cap. 3.* Illud hîc quæri video, si certus sit debitor de cessione facta, denunciatum tamen non sit, an exceptione doli repellere cedentem queat? Pene, est ut adfirmem, *arg. l. fin. ff. de Trans. l. 20. §. 11. ff. de pet. her. l. 1. in fin. ff. de act. Empt.*

XLVI.

Sed quid si uterque cedens & cessionarius concurrant, uter alteri præferendus erit? Et videndum est ne hic præferatur isti, si utili agat, secus si directâ. *per l. 55. ff. de procurat.* (utramque enim ei in hac aliisque huic similibus dari speciebus jam ante monui *rh. 32.*) potior enim censeri debet is, qui sine dolo suo nomine actionem intendit.

XLVII.

Et hac ratione suspenditur impediturve actionis ex cessione competentis effectus: brevibus expediamus, quomodo ea prorsus tollatur & expiret. Quod igitur utilem actionem attinet, ea nec morte cedentis. *l. 1. C. de O. & A. nec cessionarii. arg. l. heredi-*

tas.

tas. 62. ff. de R. I. extinguitur. Directa licet ex mandato oriatur, nonnihil tamen ab indole mandati deflectit. Illud enim morte mandantis expirat: in cessione aliter res habet, quippe quæ cedente fatis functo ad hæredem tam cedentis. d. l. 1. Cod. de O. & A. quàm cessionarii etiam lite non contestatâ transit. l. 33. Cod. de donat.

XLVIII.

Quod si mandans sine hærede decesserit, ante quàm litè contesteretur cessionarius, directa quidem evanescet, sed utilis ex rescripto dabitur. d. l. 1. C. de O. & A. l. 5. in pr. ff. ut leg. nom. Cæterum post litis contestationem ad plures si abierit mandans, nihil impedit, quo minus directis actionibus experiri, & litem, cujus Dominus factus est. l. 23. C. de procur. & arg. d. l. 1. prosequi possit. Et hic genuinus d. l. 1. C. de O. & A. est sensus, cui Forcatulus dial. 64. aliam, aliam Anton. Fab. 12. con. 2. mentem affingit, immeritò Cujac. 2. obs. 31. perstringens.



COROLLARIA.

I.

Si res sub eâ conditione vel pacto data sit, ne alienetur, id non impedit, quo minus contra pactum alienans rei dominium transferat.

II.

Quod meum non est, ad alios transferre possum.

III.

Non secus in indebito soluto, quam in mutuo dominium transfertur.

IV.

Reus ante litem contestatam rem dolo possidere desinens rei vindicatione tenetur. Ad quid ergo Edict. Præt. de alienat. jud. mut. caus. factâ? alterum non evertit alterum.

V.

Duplex datur condictio ad rem repetendam: 1. Ex causa non secuta. 2. Ex capite pœnitentiæ, Hac duo confundere vide-

videtur Wesen. ad tit. ff. de transact. n. 7. circ. fin. dum per
l. quamvis. C. de transact. nihil novi in transactione cautum
esse noviter contendit. Enimverò ea quæ ex capite pœnitentiæ
datur conductio, in omnibus contractibus innominatis locum
habet; in transactione non æquè.

Ex Jure Canonico.

I.

Compaternitas adoptionis species non est: & verendum,
ne à separatis inferat Pontif. in cap. 1. caus. 30. quæst. 3.

II.

Prohibet l. un. C. de rapt. nuptias omninò inter raptorem
& raptam celebrari: mitius hac in parte jus Canon. eas
concedit. Quod Concilium Tridentinum plenius aliquantò de-
finivit. sess. 24. decr. de reform. matr. cap. 6. cujus rationes
nec à vero nec æquitate aberrare videntur.

III.

Ius Canonicum in cap. fin. extr. de præscript. in omni
præscriptione bonam fidem desiderat, malam excludit. Quid
ergò si mala fides completà præscriptione superveniat, cogitur
ne rem restituere, an & in foro conscientie (ut loquuntur)
eam retinere poterit? posterius pleriq; omnes, & rectè, affir-
mant: quamvis id ex postrema Pontificis ratione d. cap. dubi-
tationem recipiat.

IV.

Immeritò vapulat à Canonistis IC. in l. in causæ 16. §. 4.
ff. de minor. nec enim à Canonibus hic quicquam immuta-
tum est. Sane d. l. 16. non intellecta multis ansam cavillandi
præbuit.

Ex Jure Feudali.

Thes. I.

Investitura nisi paribus Curie presentibus non expeditur,
qui si absint, expectandi sunt.

II.


Subinfeudatio Const. Frid. t. 55. E. 2. sublata non est contra
Hettomannum.

F I N I S.

X 2615926

VD 17






Inches
Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



IO
ALIS;

12
1631, 4.

NE A-
M,

RIADOS

OBILISSIMI

LEBERRIMA
emiã

UTROQUE

us ritè & so-
ndis

ijiciet

ENBECK,

Maji.

RTZ.

16.

5.

